




VII
AVGVSTIN
SERMONES
EC.
155
INCUNABULI
L
6
61
Biblioteca Nazionale
Centrale - Firenze
MEDIOLANI
1479









Pro facillima Turcorum expugnatione epistola.

Serenissimo Principi & Excellentissimo Domino. D. Andreę Vendramino Dei gratia Inclyto Duci Venetiarū. Celsus Veronensis canonicus regularis. S.PL.Dicit.



I de tua Serenissime princeps summa humanitate: singulariq; beneficentia & caritate: cū in omnes: tū maxime erga religiosos: & eos qui speciali quadā morum honestate: doctrina: ac uitę sanctimonia prestant: non optime exploratū haberem: eam sane scribendi prouinciā mihi in presentiarū minime usurpassem. Verū cum haud quaq̄ me lateat humanissimā.S. tuā tanta beniuolentia: tantaq; uitę religiosę obseruantia ac potius pietate affectā: ut omnia pene de tua nobis summa bonitate liceat polliceri: Quod profecto & tua de nobis q̄ plurima optime merita facillime declarant: huic scribendi officio nequaq̄ potui deesse: quo minus id ad memoriam reducerem.S.tuę: quod ad tuam dignitatem & laudem: ac totius illustrissimi ducalis dominij salutem & gloriam in his tantis calamitatibus ac

periculis nostris noscimus attinere: q̄q̄ ob sum/
mam prudentiam tuam: singularemq; animi in/
tegritatem/ his te admonitionibus parum indige/
re confidam. Hoc autē idcirco tecum potissimū
familiariter agendum duxi: tum quidem ut tuis
prȩclarissimis meritis aliquam pro tenuitate no/
stra gratitudinis uicem impenderem: mutuamq;
(quoquo modo id egero) caritatem prȩ me fer/
rem: tum uero quia litteras meas tibi gratissimas
ac maiorē immodū iocundissimas fore non dubi/
to. Quorsum igitur tandem inquies omnia ista?
Non ignoras autem. S. Princeps: quod omnibus
quoq; populis iam dudū apertum est: & nos pro/
fecto non sine magno dolore cordis proferimus:
quāta. s. sit huius impijssimi Turci christiani no/
minis/ ac totius uirtutis inimici nephanda crude/
litas: & insaturabilis rabies: qua christianos per/
sequi: dirripere: trucidare: ac fidē christi dies no/
ctesq; labefactare: ac subuertere nō desinit. Quan
ta prȩterea sit noui eius apparatus: ac potētiȩ ma/
gnitudo: id nequaq̄ opus est uerbis exprimere.
Eo quippe iam deductā: tantūq; inualuisse cōspi/
cimus: ut iam christiana religio in magno discri/
mine cōstituta sit: ac pene miserabile sit subitura



naufragium. In foribus enim iam adsunt seuissi-
mi hostes. Iam uicina nobis loca armatorum gen-
tibus: ac bellicis machinis undiq; plena sunt. Pro-
pe ad radicem posita est securis: & nisi nobis di-
uinū suffragetur auxiliū: iam actum esse de no-
mine christiano magnopere formidamus. Quis
enim eius impetum sustinebit? Quis audaciam
coercebit? Quis insolenter gloriantē ab incepto
deterrere ualebit? Si nunc quod pius deus auer-
tat: uictorię compos extiterit? Prę multitudine
enī hominū & prę gloria belli atq; reportatę ui-
ctorię angustos se fines habere arbitrabit̃: existi-
mabitq; totius Italię sese facillime imperio pos-
se potiri. Quobrem licet illustrissimus ille noster
diuinusq; Venetorū Senatus: multo antea tem-
pore ob catholicę fidei defensionē: aduersus hūc
scelestissimū Turcum, maximis uiribus: summa
potentia: & incredibili uirtute pugnarit: eiusq;
conatum & acerrimū impetum, summo labore:
maximis sumptibus & pecuniarū erogationibus
fortiter represserit: & nunc id ipsum pro tempo-
ris necessitate totis uiribus totisq; conatibus cu-
mulatius agat. In his tamen spes pręcipua uicto-
rię nostrę minime est collocanda. Sed subsidium

nobis potius e cęlo assiduis precibus: assiduis lachrymis: assiduis gemitibus & orationib⁹ est exorandum: ut deus noster ceruicem & potentiam inimicorum suorum cęlesti uirtute: atq; mucrone conterat: & humiliet. Nobiscum uero populo suo non pro meritis: sed magis agere uelit secundum magnitudinē misericordię suę. Sicq; ut aiebat robustissimus ille Dauid: tot egregijs facinoribus: totq; prępclarissimis bellicis gestis insignis. Illi in curribus & ij in equis: nos uero in nomine domini dei nostri fortiter dimicādo: optatam uictoriam consequemur. At si ī multitudine militię terrestris exercitus: uel in maximo ac splendido nauiū apparatu gloriantes: nobis uictoriā belli promiserimus magnopere profecto fallimur: illudq; uehementer pertimescendum est: quod hębreorū quondam illi populo: sępius euenisse sacra narrat historia. Quotiens enim in sua uirtute & copiosa exercitus multitudine confidebant: totiens in hostium potestatē redigebantur. Cum uero contra in multis ac uarijs calamitatibus suis: & angustijs quibus ob eorū crimina ac plurima scelera crebro conficiebant⁊ ad dominū toto corde cōuerterentur: omnem in eo spem suę salutis

collocantes: tum demum nihil illis hostilis incur-
sus: nihil barbarorũ feritas nocebat: sed uictores
semper fusis dissipatisq; hostibus euadebãt. Quis
enim populũ illũ suprema iam desperatiõe con
fectum: ac de sola miserrima sui captiuitate cogi-
tantem, e manibus illius truculentissimi Olofer-
nis eripuit? Nõne deus unius sanctissimę uiduę
ministerio, acerrimũ diuini cultus inimicum: in
sola exercitus sui potentia confidentẽ, turpi mor-
te uitam finire coegit? Nonne exercitũ eius cum
ingenti pręda in potestatẽ redegit filiorũ Israel?
Non enim ut in oratione prostrata domino ceci-
nit illa sanctissima Iudith in multitudine est uir-
tus tua domine: neq; in eqnorum uiribus uolun-
tas tua: neq; superbi ab initio placuerunt tibi: sed
humilium semper & mansuetorum tibi placuit
deprecatio. Quis Achab regẽ Israel tanta uicto-
ria: tantaq; inimicorum suorum pręda potiri fe-
cit: cum innumerabili Benadab regis syrię exer-
citu premeretur? Nonne deus qui superbis resi-
stit: & humilibus copiosam gratiã confert? Quis
Senacherib regem illum assyriorũ, sũma ui op-
pugnantem populum dei qui in sola diuini sub-
sidij opitulatione confidebat: ab eius obsidione

maximo cũ dedecore: ac totius exercitus sui con-
fusione turpiter abscedere fecit? Nonne centum
octogintaquinq; milia uirorũ, nocte una in eorũ
castris angelus interfecit? Quis fugientẽ ex egy-
pto populum de manu Pharaonis eripuit? Non-
ne dominus? Quis deniq; Moysem sanctum de
potestate tot potentissimorũ regum totiens libe-
rauit? Nonne dominus: qui in se confidentes &
sua de uirtute & misericordia prȩsumẽtes: nunq̃
dereliquit? Verũ quid nunc cõmemorem singu-
la? quãdo quidẽ huiusmodi documẽtis & exem-
plis omnia scripturȩ sacrȩ uolumina plena sint:
atq; referta: & tuȩ. S. optime nota? Omitto igitur
Gedeonem illum principẽ populi dei: qui spe-
rans in domino trecentis tantummodo uiris infi-
nitam pene orientalium multitudinem profliga-
uit atq; deuicit. Omitto & fortissimum illum Ie-
pte, ductorem militiȩ dei: qui & ipse in domino
toto corde confidens, prȩclarissimis rebus gestis:
inimicos suos undiq; fortiter debellauit. Omitto
Sisaram ducem: qui ualidissimis copijs expugna-
bat Israel: quem dominus unius fœminȩ sicuti &
Olofernem gladio consternauit: exercitũq; eius
ingenti strage confectum, in deditionem redegit

populi sui. Omitto deniq; illos inclytos macha-
bęos: qui diuino çelo succensi paruis copijs pro-
pter legem dei ac populũ suum strenue dimican
tes, persecutores suos crebrius uiriliter profuga-
runt: & post multa pręclara atq; admiranda belli-
ca gesta, consumptis dissipatisq; circunquaq; ho-
stibus suis gloriosa retulere trophęa. Nec mirum
profecto: omnem enim spem suã in domino col-
locarãt: nec magis armis q̃ orationibus muniti, ad
bella contendebant. Optarem nunc. S. Princeps
in hoc nostro barbarico bello Iudam illũ macha-
bęorũ ducẽ pręstantissimũ uobis imitandũ pro-
poneretis. Is enim cum sępenumero aduersario-
rum suorũ exercitu premeretur: neq; humanis
uiribus tantę multitudini obsisti posse conspice-
ret: ad dominum semper toto corde totoq; men-
tis annixu confugiens, lachrymis & orationibus
uictoriã sibi e cęlo poscebat elargiri: neq; unq̃ cũ
hoste cõgrediebatur: nisi prius ductorem exerci-
tus angelũ e cęlo postulasset. Ex quo profecto sę-
pius cõtigit: sacra id attestante scriptura: ut ange-
lum diuinũq; sibi aduentasse subsidiũ manifeste
cognosceret: sicuti in ea legimus pugna atq; con-
flictu: quo Nicanorem eiusq; ingentem exercitũ

magna ex parte trucidauit: nec nõ in eo congres-
su: quo circiter quadraginta milia uirorũ/ex Li-
sie copijs interemit: ipsumq Lisiam ducẽ saluti
sue turpi fuga consulere compulit. Pari modo &
uos his armis his auxilijs in hunc barbarum con-
tendite: illum oppugnate: illum depellite: illum
imperio uestro subiugate. At nunc forte inquiet
quispiam. Antiquitus patrata sunt ista tanta mi-
rabilia. Transierunt prisca illa tempora non am-
plius reditura. Nunc opus est armis: nũc uiribus
atq lacertis decertandum est. Ieiunijs uero: gemi-
tibus: lachrymis: disciplinis: & orationibus par-
cendum. Sed absit ut nec ista quidem cogitet uir
ullus patricius. Quis est enim ita insipiens? Quis
ita insulsus? & ab omni ratione semotus: qui ne-
sciat eundẽ nunc esse deum: eiusdemq nunc esse
nature: bonitatis: & potentie: qua priscis illis tem
poribus erat: quando tot mirabilia totq obstupe-
scenda miracula faciebat? Verũ id plane exigunt
multe nequitie: infinita scelera: ac de deo summa
diffidentia nostra: ut eum qui mutari nequit/nos
mutatum: & quod nephas est dicere: a sua deie-
ctum uirtute putemus. At si nos optima maiorũ
nostrorũ instituta sectaremur: & ad deum nostrũ

in cunctis aduersis toto affectu totoq; mentis intuitu humilibus precibus & obsecrationibus eius auxiliũ implorãtes respicere uellemus. Ille idem profecto nobis statim uideret: qui illis retroactis temporibus sese ĩ cunctis admirabilem ostendebat. Quanq̃ & nostris quoq; temporibus: si diligenter ac recte inspexerimus: id frequẽtius actitatũ esse nobis possit esse perspicuũ. Quis enim (ut de hoc uestro inclyto dominio aliquid afferamus) tam longe lateq; terra & mari uestrum imperium ualuisset propagare? Quis illud longissimo tempore felicissime conseruare? cũ totius Italię arma: ulla ex parte illud labefactare minime potuerint? Quis deniq; tot uictorijs: tot gloriosis tropheis terra mariq; crebro potiri fecit: cum tamen ancipiti bello: atq; inęqualibus copijs ob maximos aduersariorum apparatus plerunq; decertatum sit? Nonne deus ipse quem in priscis illorum temporum miraculis admirabilem prędicamus? Sed si nunc placet. S. tuę: paululũ inspiciamus, quibus copijs: quibus auxilijs: qua potentia: qua uirtute: nisi cęlesti atq; diuina non multo antea tempore id actum fuerit: ut Genuenses a uobis sic turpiter uincerentur: & totius classis

ſupremū excidium paterentur: qui in ipſis iam Venetiarū faucibus eam impulerant? Iamq; il-li ampliſſimę: ac toto terrarum orbe celeberrimę ueſtrę ciuitati quę nunq̄ ulli regno: ulli imperio: ulli potentię paruit. illi inquam tantę ciuitati iam ſuccumbendum: & miſerę ſeruitutis iugum ſub-eundū erat. Nonne hoc. S. tuę inter priorū tem-porū miracula / merito cōnumerandum uidetur? Sed nec illud quidē contemnendū prorſus uide-ri debet: q̄ ſuperioribus temporibus triginta tan-tum triremibus Othonem Federici imperatoris filiū nauali pręlio ſuperaſtis: ipſumq; & ſeptua-ginta triremiū claſſem: qua aduerſus romanum pontificē contendebat / in ueſtram ditionē ac po-teſtatē redegiſtis. Quibus ad futurā tantę rei me-moriam: romanus pontifex poſtmodū inſignia quędam perpetuo uobis ferenda donauit. Verū quid nunc eſt opus ſingula recenſere: cum pluri-ma ſint: & ad rem de qua agimus nō multū atti-nentia? Magis igit̄ tantarū uictoriarū: totq; feli-ciſſimorū ſucceſſuū cauſam inquiramus. Quam ſane eam pręcipue audacter fuiſſe dixerim: q̄ cū in huiuſmodi anguſtias atq; calamitates incidiſ-ſent: pręcipuū e cęlo ſubſidium bonis operibus

exposcebāt. Tunc enim maxime (uti proborum uirorū memoria in hunc usq; diem testimonium perhibet) largissimis elemosynarum distributionibus: assiduisq; religiosorū hominum obsecrationibus: magna fide & deuotione deū sibi placare conabātur. Quod profecto optime quoq; declarant ornatissima templa: atq; delubra amplissima: & sanctissimis religiosis referta monasteria: quę temporibus istis constat fuisse confecta. Huiusmodi optimis pręsidijs cōmuniti: tum demū progrediebant̄ ad bellū: & non prius remeabant ad patriam: q̄ profligatis destructisq; hostibus: uictoriam certam ac spolia reportarēt. Quobrem .S. Princeps & istis quoq; diebus minime paruipendendas duxeris orationes seruorum dei: qui deo suo immaculato corde & corpore grata impendunt obsequia. Multū nanq; ualet (ut beatus Iacobus inquit) oratio iusti assidua. Helias homo erat similis nobis: passibilis atq; mortalis: & tamē oratione fusa cęlos claudere meruit: adeo ut per tres continuos annos ac sex menses: nihil pluuię emanauerit super terrā. Ad cuius rursus orationē aperti sunt cęli: & copiosam tum demū aquarum inundantiam reddiderunt. Quod profecto

nobis nequaq̃ mirum uideri debet. Oratio nanq̃
alibi sacra attestante scriptura: humiliantis se nu-
bes penetrat: & ante tribunal sũmi dei ꝑ uniuscuiusq̃ causa egregia est peroratrix. Quis enim
humanis eloquijs explicare: aut ingenij uiuacitate comprehendere ualeat/ quantum uniuersę rei
publicę christianę: quantũ cũctis regnis: quantũ
principibus ac ducibus: quantũ cunctis ciuitatibus ac fidelium populis: quantũ deniq̃ facinorosis ipsis ac peccatoribus/ ne subito meritas luant
pœnas: & quę sibi debent̃ ęterna supplicia: conferant ac prosint religiosorũ uirorum lachrymę:
suspiria: gemitus: singultus: disciplinę: assidueq̃
preces: & obsecrationes: quas ꝑ uniuersis ac singulis/ die noctuq̃ profundunt. Ego equidẽ noui
multos: eosq̃ magnę sanctitatis & integritatis uiros/ huiusce esse opinionis atq̃ sententię: neq̃ ab
ea posse facile dimoueri ni scilicet iustissimus deus religiosorum hominũ lachrymis & orationibus ad pietatẽ misericordiamq̃ flecteretur: multas ciuitates ob earum ĩmania scelera atq̃ infinita
flagitia/ subito fore hiatu terrę absorbẽdas: ac eorum quo sodomorũ quondam populũ illum affectum fuisse legimus/ supplicio fore plectendas.

Cum enim multo tempore benignissimus deus: meritis & orationibus illorum quinq iustorum: qui in eadem ciuitate: & inter eorum scelestissimos mores innocentem uitam actitabant: populi illius horrenda scelera equanimiter tolerasset: nec unq̄ resipiscere uoluissent: tū demū eorū nequissimos mores nō amplius ferens/ eam illis intulit plagā: qua nulla maior: nulla crudelior: neq deniq horribilior excogitari potest. Qua propter si talem tantamq uindictā/ quinq uirorū orationes/ multo tēpore differre ac impedire potuerūt: quanto nunc magis tam copiosa sanctorū uirorū quę in singulis urbibus repperit multitudo: non solū iram dei lenire: sed & maximas ac innumeras gratias populo christiano impetrare sufficiet? Non enim eos ieiunos & arridos dimittere poterit ille qui dixit. Petite & accipietis: querite & inuenietis: pulsate & aperiet uobis. Quicquid enī orātes petieritis: credite quia accipietis & fiet uobis. Nunquid cassę & uanę esse poterunt orationes ante illū: qui eas tantopere fieri mandauit? Minime profecto id existimandū est. Si enim nos cū simus mali/ petentibus bona nouimus impartiri: quanto magis illū qui summe bonus: sūmeq

pius & misericors est: illorũ precibus morem gerere existimare debemus: pro quibus uitam profundere: & durissima crucis acerba supplicia subire minime recusauit. Quas ob res ne in longum nimis nostra protendatur oratio: cũ tanta sit istiusmodi deprecationis uis atq; potentia: ut eũ pene qui uinci nequit, possit reddere uictũ. Et nos .S. Princeps his telis: his armis: his machinis instruamus hanc castrorum nostrorũ aciem: hanc expeditionem nostram, aduersus hunc spurcissimum christiani nominis inimicum. His inquam turribus: his propugnaculis & munimentis: eam undiq; circũdemus: ut nullo impetu: nulloq; hostium agmine ualeat penetrari. Aderit profecto diuinũ e cęlo subsidium: si in domino spem nostram locauerimus: & post nauiũ exercituũq; apparatum: orationibus quoq; seruorũ dei cõmuniti: impiorũ classi exercituiq; occurrerimus. Tunc ꝓfecto ut olim sępissime cõtigit: in hoc tam graui: tamq; periculoso bello uictores erimus. Tunc propulsabimus ac profligabimus hostem. Tunc eius classem & exercitum: omnemq; bellicũ apparatum, in potestatem nostrã facile redigemus: etiã si pro sui magnitudine, illius quondã Xerxis

copijs nõ ĩmerito ęquiperari posset. Tum deniq̃
non inuito optimo deo nostro: optatam uictori/
am reportabimus/ ingenti gloria: ingentiq̃ triũ/
pho. Hęc sunt .S. Princeps quę pro mea erga te
summa beniuolentia: summaq̃ obseruantia con/
scribere uolui: tum quidẽ ut tu pro hac causa tam
ardua tantiq̃ momenti: sicuti te facere nõ dubito
instantius ores: tum etiã ut cum cęteris pręsis: &
inclytę ciuitatis Venetiarũ regimen ac principa/
tũ obtineas: rem istam religiosis omnibus/ sũma
fide ac deuotione sępius cõmendes. Neq̃ si quos
forte minus deuotos conspicis: cęteros qui e cęlla
cęlum ipsum sępius scandunt/ tales esse suspice/
ris. Non enim uidere potes gemitus: lachrymas:
ac cõtinuas preces: quas ante dominũ pro totius
populi salute in occulto profundũt. Ad quod in/
super si uerbo & exemplo hortaberis Senatũ po/
pulumq̃ Venetũ: cum cęteros dignitate atq̃ plu
rima auctoritate pręstes: erit profecto res quę &
isti uestrę reipublicę Venetę nõ parũ conducet:
& a tua quoq̃ dignitate & laude non erit aliena.
Valeat q̃ faustissime. S. tua: cui nos resq̃ nostras
plurimum cõmendamus atq̃ tradimus.